

247. *Referuntur variae doctorum responsiones ad conciliandum d. c. Relatum, et c. Gratum, 20 eod. cum earum impugnationibus.* — Novissime aliam dictarum decretalium conciliationem invenire studuit Emmanuel Gonzalez Telez in commentariis ad lib. I. *Decretal. c. Gratum, n. 4, de Offic. delegat.* ubi inquit, in d. c. *Gratum*, sermonem esse non de simplici citatione sed potius de citatione per edictum peremptorium (de hoc enim ibidem fit mentio) quæ inducit litem contestationem si non veram, saltem fictam; ut c. *Quoniam*. § *Porro*. « Ut lite non contestata : » et Auth. *Qui semel*. C. *Quomodo et quando* : sicque (inquit) dictas duas decretales sibi non contrariari, cum ambæ velint valorem rescripti, seu jurisdictionem delegatisolum perpetuari per litem contestationem, vel veram, vel saltem fictam. Verum tamen etiam hæc responsio patitur instantiam : tam quia pariter nimium restringit conclusionem, et communio doctorum sententiam, eo quod citatio per edictum non habeat locum, nisi in casu actoris, vel rei contumaciter absentis, per jura proxime citata; tum quia, licet in cit. c. *Gratum*. § 1, fiat mentio de citatione per edictum, ibi tamen solum continetur « narratio facti, » seu quid in casu illo, de quo tunc quæstio movebatur, contingerit : postea vero in § *Nos autem*, ubi continetur « decisio juris, » Pontifex indistincte respondet, quod « citatione facta, negotium sit quasi coeptum. »

248. *Expeditor responsio concedit priorem decretalem corrigi per posteriorem.* — Ultima tandem, et cæteris expeditor responsio, est Glossæ in casu, ad cit. c. *Relatum*. 19, *de Offic. delegat.* volentis istam decretalem esse correctam per sequentem, seu per d. c. *Gratum*. 20, eod. Atque hanc opinionem præter Tancredum, et Goffredum, quos pro ea citat Abbas, ubi supra, sequitur Decius, in d. c. *Gratum*, n. 1, et Layman, ibid. n. 1. Cum enim (inquit iste) legibus civilibus non satis esset expressum, an jurisdictio delegati primum per litem contestationem coepta censeatur, vel potius per ipsam citationem; quia pro utraque parte graves stant auctores; hinc etiam orta est diversitas decretalium. Nam Lucius III, in d. c. *Relatum*, priorem sententiam veluti tutiorem secutus, respondit, ad perpetuandam delegati jurisdictionem requiri, litem contestationem ante obitum delegantis esse factam. Econtra Urbanus III, qui fuerat immediatus ejus successor in Sede apostolica, amplexus posteriorem senten-

tiam, utpote benigniorem, respondit, ad id sufficere citationem vivente delegante esse factam; cum per hanc « negotium sit quasi coeptum, » ut loquitur textus.

249. *Solvuntur rationes in oppositum.* — Nec obstant rationes n. 243, allatæ. Non prima : nam fallit, quando posterior canon expresse corrigit priorem, in eodem compilationis volumine positum; ut c. *Exigit*. 2, et c. *Felicis*. 3, *de Censib.* in 6. Hoc autem contingit etiam impresentiarum, si non verbis omnino expressis, saltem ipso facto, dum sæpe dictæ duæ decretales non solum sub eodem titulo immediate per compilatorem fuerunt positæ, sed etiam a duobus summis Pontificibus immediate se subsequentibus editæ : atqui notum est, quod lex, seu canon posterior deroget priori, etiam nulla ejus facta mentione, c. *Licet Romanus*, *de Constitut.* in 6. Nec secunda : etenim decretalis *Relatum*, non revocatur ex toto per decretalem *Gratum*; quia etiam prior de facto juvat ad probandum quod re integra expiret rescriptum, et jurisdictio delegata per mortem delegantis. Accedit, quod non sit superfluum, decisionem quæstionis adeo controversæ, ac inter summos quoque Pontifices agitata, propositis diversis sententiis corpori juris communis inserere. Videantur dicta in Proœmio. § 12, num. 207, 208 et seqq.

250. *Rescripta gratiæ, seu ad beneficia, non expirant morte concedentis etiam re integra, quando continent gratiam factam.* — Queritur II. An, et quando rescripta gratiæ, seu ad beneficia, expirent morte concedentis? Resp. cum communi, quoad hoc attendendam esse notabilem distinctionem, utrum rescripta contineant « gratiam factam, » vel « gratiam faciendam. » Et quidem, si continent gratiam jam factam, hujusmodi rescripta sunt perpetua; adeo, ut nec ipsa gratia, nec potestas dictæ gratiæ executoribus concessa, expiret morte concedentis, etiam re integra. Patet hoc clarissime ex c. *Si super gratia*. 9, *de Offic. delegat.* in 6, ibi : « Si super gratia, cuiusdam ab apostolica Sede facta, executores fuerunt deputati : æquum esse censemus, ut sicut ipsa gratia (licet nondum sit in ejus executione processum) morte non perimitur concedentis, sic nec etiam re integra perimatur executoribus data potestas; quam veluti gratiæ prædictæ accessariam, naturam sequi congruit principalis. » Et merito : ne alioquin gratia, cuiusdam jam facta, reddatur quandoque omnino

inutilis; vel saltem, si opus foret denuo adire Papam pro executione gratiæ sibi factæ, hanc non sine dispendio impetrantis in longius tempus differri contingat; prout ibidem observat Pontifex. Concordat textus in c. *Si cui nulla*. 36, *de Præbend.* in 6.

251. *Secus, si contineant gratiam faciendam.* — Econtra vero, quando rescripta continent gratiam primum faciendam, seu concessam non in proprium recipientis litteras, sed in alterius dumtaxat favorem, certum rursus est, quod ejusmodi gratia facienda expiret morte concedentis re integra. Patet hoc similiter ex textu expresso d. c. *Si cui nulla*. § fin. 36, *de Præbend.* in 6, ibi : « Si super provisione certæ personæ faciendam, sit data potestas eidem, non ob suam, sed ejus, cui provideri mandatur gratiam, vel favorem : illa quidem expirat omnino, si concedens re integra moriatur. »

252. *Disparitas inter gratiam factam, et faciendam.* — Accedit ratio disparitatis : quia in prioribus casibus, quando rescriptum, sive mandatum apostolicum continet « gratiam factam, » jam illi, cui talis gratia facta est, jus fuit acquisitum, quod proinde sola morte concedentis æquum est amplius non auferri. Econtra vero per « gratiam primum faciendam » nulli adhuc jus quæsitum fuit, unde non mirum, quod ejusmodi gratia, veluti primum faciendam, expiret morte concedentis re integra, seu quando in ejusdem executione nondum est processum. Verum occasione hujus illico :

253. *Rescripta quæ censeantur continere gratiam factam, et quæ faciendam? Præsertim si sint concessa in favorem aliorum.* — Queritur III. Quænam rescripta, seu commissiones gratiosæ, præsertim in favorem aliorum concessæ, censeantur continere « gratiam factam, » et quænam « faciendam? » Et notanter additur, « præsertim in favorem aliorum concessæ. » Nam quoad gratiam cuiusdam in particulari concessam, modica est difficultas : illico enim ex terminis concessionis patere poterit, num sit « Gratia facta, » ipsique actu jam concessa, vel primum « faciendam, » hoc est, concedenda in futurum. Verum de rescriptis gratiosis, seu commissionibus, in favorem et gratiam aliorum concessis, major est difficultas; de quibus sit responsio sequens.

254. *Commissio, sive facultas cuiusdam personæ, aut communitati respectu aliorum indeterminate data, censeatur continere gratiam*

factam. — Resp. I. Quando ejusmodi commissio, v. g. facultas absolvendi, vel dispensandi cuiusdam personæ, vel etiam communitati religiosorum respectu aliorum indeterminate, ac sine certarum personarum expressione data fuit, signum est eam principaliter in ipsius personæ vel communitatis gratiam et favorem esse concessam, ac proinde esse « gratiam factam, » neque expirare morte concedentis etiam re integra. Ita Federicus de Senis, consil. 78; Angelus, §. *Dispensatio*, n. 13; Navarrus, consil. 2, n. 1, *de Offic. delegat.*; Sanchez, lib. VIII, *de Matrim. disp.*, 28, n. 81; Pirhing, *de Offic. delegat.*, num. 190, et probabilior aliorum.

255. *Idque probatur.* — Desumitur hoc imprimis ex c. *Si cui nulla*. 36, *de Præbend.* in 6, ubi sic decisum legitur : « Si cui (nulla personarum facta expressione) sit gratiose concessa facultas, ut auctoritate apostolica possit aliquibus personis idoneis in certa Ecclesia providere, vel beneficia (quorum collatio est ad Sedem apostolicam legitime devoluta) conferre : hujusmodi gratia (quam, cum specialem gratiam contineat, decet esse mansuram) non expirat etiam re integra per obitum concedentis. » Ubi quantum ad propositum, ponderanda est clausula illa, « Nulla personarum facta expressione : » junctis illis verbis, « hujusmodi gratiam, quam, » etc. Accedit ratio, quia sic posse generaliter conferre beneficia, dispensare, etc. est magna prærogativa ejus, cui ejusmodi gratia specialis, seu facultas generalis, sine expressione certæ personæ concessa est; ergo gratia hujusmodi censetur principaliter esse concessa in favorem, sive ad majorem prærogativam ipsius recipientis, seu dispensaturi, ac proinde esse « gratia jam facta, » qualis non expirat morte concedentis re integra.

256. *Si autem commissio, sive facultas in favorem tertii concessa fuit cum determinatione certæ personæ, rursus est distinguendum.* — Resp. II. Quando cuiusdam gratia, sive commissio, vel facultas concessa fuit, tendens in favorem alterius cum determinatione personæ, ut puta ad dispensandum cum Titio, ad providendum Caio de beneficio : tunc rursus distinguendum est, atque attendendum, utrum ipse sit executor necessarius talis gratiæ, habens mandatum exequendi talem gratiam, si preces veritate nitantur; vel solum voluntarius.

257. *Nam, si ipse fuerit executor necessarius, gratia censeatur jam facta in favorem tertii.* —

Et quidem si sit executor necessarius, jussus exequi gratiam cognita precum veritate (puta, si dicatur ei in rescripto:) «Dispenses cum Titio, Provideas Caio de beneficio, si hæc ita esse cognoveris» tunc ejusmodi gratia censetur jam facta in favorem petentis, sicque non perit morte concedentis; et ipsi commissario solum injungitur inquisitio super veritate precum, atque executio talis gratiæ, si videatur precum veritatem. Glossa in c. *Veniens*. §. *Renuntiasset juri*. et Abbas, ibid. n. 13, de *Renuntiat*. dicentes, quod per litteras monitorias, præceptorias, sive executorias, acquiratur jus impetranti, non quidem quoad ipsam rem, sive Ecclesiam petitam, sed quoad jus agendi, et implorandi officium judicis ad prosequendam gratiam. Rebuffus, tit. *De Mandatis apostolicis*. § 1, §. *Sui pontificatus*; Suarez, de *Censuris*. disp. 24, sect. 2, in fine; Sanchez, lib. VIII, de *Matrim.* disp., 28, n. 87, et alii ab his citati.

258. *Secus, quando commissarius ille est executor voluntarius: quia tunc censetur gratia faciendâ.* — Secus dicendum, quando commissarius ille est executor voluntarius, ut puta, si in rescripto, seu litteris apostolicis ipsi dicatur: «Dispenses cum Titio, Conferas Caio beneficium, si volueris, si expedire judicaveris.» Nam talis gratia nondum est facta a principe, sed primum faciendâ a legato commissario, si voluerit, aut expedire judicaverit, atque ideo morte concedentis expirat, et perit re integra (id est, si nondum commissarius ille in talis gratiæ executione processit, saltem vocando partes ad cognoscendum de precum veritate, utpote qui actus correspondet citationi in jurisdictione contentiosa. Sanchez, cit. disp. 28, n. 94). Idque totum clare patet ex jam cit. c. *Si cui nulla*. § fin. de *Præbend.* in 6.

259. *Ratio disparitatis inter utrumque casum.* — Accedit manifesta ratio disparitatis: quia in hoc posteriori casu nullum adhuc jus parti quæsitum fuit, quinimo libera rescripti apostolici executio relinquitur voluntati, atque arbitrio delegati commissarii: in priori autem casu, de quo n. præced. stante precum veritate jam parti gratiam petenti jus fuit acquisitum, saltem ad agendum, et implorandum officium superioris, si delegatus commissarius, haud obstante precum veritate, nollet, sive tardaret, gratiam sibi concessam exequi. Atque conformiter dictis, sive distinguendo bene inter «gratiam jam factam,» et «gratiam primum faciendam,»

plures textus juris facile concordantur, qui cæteroquin videri possent contrarii.

260. *Rescriptum gratiæ concessum sub clausula «Usque ad beneplacitum nostrum,» expirat morte concedentis.* — Quæritur IV. An morte concedentis expirent rescripta, sive gratiæ illæ, quæ fuerunt concessæ sub clausula, «Usque ad beneplacitum nostrum; Usque ad beneplacitum Sedis apostolicæ; Donec revocavero,» et hujusmodi? Resp. I. Rescriptum Papale, et quæcumque gratia concessa sub clausula, «Usque ad beneplacitum nostrum,» per mortem concedentis ipso facto expirat. Ita omnes doctores; et habetur expresse decisum in c. *Si gratiose*. §, h. t. in 6. Siquidem per obitum concedentis, etiam beneplacitum ipsius omnino extinguitur; prout ibidem argumentatur Pontifex.

261. *Et quid, si morte concedentis communiter ignorata processerit delegatus ad executionem rescripti* — Notat tamen Sanchez, lib. III, de *Matrim.* disp., 22, n. 59, citans Albericum, l. *Si forte*, ff. de *Offic. præsid.* et alios, quod si morte concedentis, ut puta Pontificis, communiter ignorata, procedatur ad executionem gratiæ faciendæ, vel alterius, quæ per ipsius obitum expiraverat, valeat ejusmodi executio: nam communis error jus tribuit, l. *Barbarius*, ff. de *Offic. prætor.* estque in simili dictum paulo superius, n. 234.

262. *Rescriptum gratiosum concessum sub clausula «Usque ad beneplacitum Sedis apostolicæ; Donec revocavero,» etc., durat perpetuo, donec revocetur.* — Resp. II. Rescriptum gratiosum, sive gratia concessa sub clausula, «Usque ad beneplacitum Sedis apostolicæ,» vel «Donec revocavero,» aut hujusmodi, durat perpetuo, nisi concedente, vel successore ipsius revocetur, neque expirat morte concedentis. Ita communis. Et quidem prior pars habetur expresse decisa d. c. *Si gratiose*, h. t. in 6, ibi: «Secus autem, si usque ad apostolicæ Sedis beneplacitum gratia concedatur prædicta: tunc enim quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi a successore fuerit revocata.» Quibus posterioribus verbis etiam ratio datæ conclusionis afferitur.

263. *Nec expirat morte concedentis.* — Altera pars, quam tenet Barbosa, clausul. 43, n. 21, et Menochius, de *Arbitrar. judic.* lib. I, quæst. 69, n. 12, citans communem aliorum, contra Bartolum, probatur ex eo, quia ad revocationem requiritur actus positivus contrarius; qualis non habetur per solam mortem concedentis. Nam aliud est, volun-

tatem cessare; aliud, eam revocare: prius fit per mortem, quia morte finitur voluntas hominis, L. 4, ff. *Locati*. posterius autem requirit factum quoddam, nempe expressionem ipsius revocationis. Menochius, cons. 360, n. 9, cum aliis.

§ XI.

DE RENUNTIATIONE, AC REVOCATIONE RESCRIPTORUM.

264. *Rescripto, quod tendit in favorem solius impetrantis, potest renuntiare, etiamsi emanasset motu proprio principis.* — Quæritur I. Utrum rescripto rite impetrato possit quis renuntiare? Resp. I. Quando rescriptum tendit in favorem solius impetrantis, certum est, quod hic possit eidem renuntiare: nam cuilibet licitum est juri suo, et iis quæ pro se introducta sunt, renuntiare, c. *Si diligenti*. de *Foro compet.* et l. *Si quis in conscribendo*, C. de *Pactis*. Et hoc procedit, etiamsi emanasset rescriptum motu proprio principis ad privatam alicujus utilitatem: adhuc enim is potest renuntiare favori sibi facto, neque cogitur eodem uti, ut l. *Quod favore*. C. de *Legib.*; Abbas in c. *Ex conquestione*, n. 10, de *Restitut. spoliat.*; Felinus ad rubric. h. t. n. 3.

265. *Si rescriptum vel privilegium continet favorem plurium, quilibet eidem renuntiare potest quatenus continet favorem suum nec lædit jus alterius; alias secus.* — Resp. II. Quando rescriptum, vel privilegium continet favorem duorum, vel plurium, tunc quilibet potest eidem renuntiare, quatenus continet favorem suum, et non lædit favorem alterius, ut d. c. *Si diligenti*, de *Foro compet.* Si autem renuntiando simul læderetur favor tertio concessus, tunc est distinguendum: aut enim jus tertio jam fuit quæsitum; et non potest impetrans renuntiare, ne lædatur jus tertii eo invito, contra l. *Id quod nostrum*. ff. de *Reg. jur.* ibi: «Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest,» cum similibus. Aut jus tertio nondum fuit quæsitum, quia nempe non apparet concedentem voluisse illi jus acquiri a tempore datæ, neque intervenit præsentatio rescripti eidem facta; et tunc non obstante illius tertii contradictione, potest impetrans tali rescripto renuntiare.

266. *Declaratur hoc exemplo satis usitato.* — Declaratur hoc exemplo satis usitato. Si

v. g. Ecclesiæ metropolitanae ad ipsius solius instantiam datum fuit privilegium, quod capitulum una cum suffraganeis eligat metropolitanum, potest capitulum renuntiare privilegio, antequam eo utatur: sed ex quo utebatur privilegio, aut illud præsentavit suffraganeis, amplius ei renuntiare non potest absque suffraganeorum consensu, arg. l. *Qui absentis*. ff. de *Acquir. posses.* ac notat Innocentius, et Hostiensis in cap. *Ex conquestione*, de *Restitut. spoliat.* et Abbas, ibid. num. 11.

267. *Etiam rescripto justitiæ, pro privata utilitate obtento, potest impetrator libere renuntiare, usque ad ejus præsentationem.* — Quæritur II. Utrum specialiter loquendo de rescriptis justitiæ, seu ad lites, possit quis eidem renuntiare, etiam invito adversario? Resp. Potest impetrator tali rescripto justitiæ, pro sua privata dumtaxat utilitate obtento, libere renuntiare, eoque nolle uti, usque ad ejus præsentationem judici factam; imo probabilius usque ad actum citationis factæ per judicem, etiam invito adversario. Ita Abbas, loc. cit. n. 10, et Felinus ad rubric. h. t. num. 3, cum aliis. Et quidem prior pars sequitur ex dictis: quia rescriptum justitiæ, in quo causa aliqua judici delegato discutienda committitur, etiam est gratia, seu beneficium Papæ delegantis, saltem late loquendo; ergo potest impetrans eidem libere renuntiare ante præsentationem; cum ante istam nullius alterius jus lædatur ex tali renuntiatione, et juri suo privato quilibet renuntiare valeat. Neque etiam reus juste conqueri poterit, quod actor rescripto contra ipsum impetrato non utatur: quia nemo invitus agere compellitur, L. un. C. *Ut nemo invitus*, etc.

268. *An etiam post præsentatum judici rescriptum possit eidem renuntiare invito adversario? Negant aliqui.* — Altera pars est contra nonnullos doctores, qui voluerunt, quod post præsentatum semel judici rescriptum, impetrator hujus non possit amplius eidem renuntiare, sed reus tali rescripto uti valeat contra impetrantem actorem, licet hic sit invitus, et agere nolit. Rationem dant: quia a tempore præsentationis litterarum apostolicarum, atque ex harum receptione incipit jurisdictio judicis delegati, c. *Super eo*, 12, § fin. de *Appellat.*; ergo etiam facta semel earum judici præsentatione, litteræ censentur factæ communes utrique parti. Butrius in c. *Ex parte decani*, n. 33, h. t.